



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

3. Quæ personæ ad decimas obligentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

NB. Emptor fundi non tenetur ad soluendas decimas, quas venditor prioribus annis neglexit soluere. Et conductor fundi de decimis conueniendus est, non dominus.

- 6 Colonus partarius decimas dare debet pro portione fructuum, qui ipsi manent ratione culturae.

C A P. III.

Quæ personæ ad decimas obligentur.

- 1 **O**Mnes & solæ personæ, quæ in spiritualibus subditæ, à manu Sacerdotis sacramentum suscipere debent ad præstandas decimas personali debito obligantur: Ratio, quia decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura ac ministerio, quod fidelibus adhibebatur. Iudæi non ratione personæ, sed ratione prædiorum soluere debent decimas, quia Ecclesiasticis legibus non constinguntur. Nec Papa obligatur ad decimas, quia Papa nulli superiori est subiectus. Episcopi & Pastores per se non solent obligari ad decimas, quia nulla consuetudine ostenditur, possunt tamen cogi à Papa.
- 2 Clerici seculares non curati ex propriis noualibus, non ratione terræ, sed ratione petitionis parochis suis decimas soluere debent.
- 3 Clerici in Ecclesiasticis redditibus nullas decimas soluunt; voluit enim Ecclesia eiusmodi redditus absque diminutione beneficalis provenire. Etque ratione intelligitur illud: *Novum genus exactio- nis esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant*, intelligitur Ecclesiasticis redditibus.
- 4 Religiosi spectato iure communi ad præstatio-

nem decimarum per se & personaliter obligantur (quia huiusmodi personæ etiam Parochis subiectæ sunt) sed per priuilegia exempti sunt, quare hodie ex noualibus suis decimas nullas dare debent, sicuti ne leprosi in communi viuentes.

NB. Mutatio qualitatis non tollit obligationem soluendarum decimarum Abb. n. i. v. c. Si ex agro pratum fiat; Non subrogatum imitatur naturam eius, cui subrogatur.

NB. Coloni agrorum religiosorum tenentur ad decimas, quia priuilegium concessum quibusdam personis non extenditur ad alias.

Ad Decimas præstandas ex debito reali, id est or-
to ex re antè decimis obligatâ omnes homines etiam Papa & Episcopi obligantur; Ratio, quia postquam dioceses in parochias diuisæ fuerunt, prædia parochianorum intra quamlibet parochiam sita, obligationem acquisierant decimæ partis fructuum ex his Ecclesiæ parochiali inferendæ eamque obligationem secum ad quemlibet possessorem deferant, quia res transit cum onere suo. Exemplum habes in parochia Verihacensi dante decimas Carthusianis.

NB. Nouale dicitur prædium de nouo cultum, cum ante non coleretur, ideoque nullum aut modicum fructum ferret.

Qui graui inopia premuntur, ita vt solutis decimis necessaria non haheant ad se suosque alendos, interim à decimis immunes esse debent: quia credibile non est, Ecclesiam velle, vt decimæ in tanto rigore exigantur & vniuersim etiam solutio, debiti in titulo iusto contracti differri potest ob grauem necessitatem & inopiam debitoris.